Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

debile domino: quia rex magnus
ego dicit dominus exercituum, et no-
men meum horribile in gentibus.
Et nunc ad vos Cap. II.
mandatum hoc, o sacerdo-
tes. Si nolueritis audire,
et si nolueritis ponere super cor ut
detis gloriam nomini meo, ait
dominus exercituum: mittam in vos
egestatem, et maledicam benedictio-
nibus vestris, et maledicam illis, quoniam
non posuistis super cor. Ecce ego
proiciam a vobis brachium, et dispergam
super vultum vestrum stercus sollemp-
nitatum vestrarum, et assumet vos secum.
Et scietis quia misi ad vos man-
datum istud, ut esset pactum meum
cum levi, dicit dominus exercituum.
Pactum meum fuit cum eo vite et
pacis, et dedi ei timorem, et timuit
me, et a facie nominis mei pave-
bat. Lex veritatis fuit in ore eius, et
iniquitas non est inventa in la-
biis eius. In pace et in equitate am-
bulavit mecum, et multos avertit
ab iniquitate. Labia enim sacerdotis
custodient scientiam, et legem requirent
ex ore eius, quia angelus domini exercituum
est. Vos autem recessistis de via, et
scandalizastis plurimos in lege. Ir-
ritum fecistis pactum levi, dicit
dominus exercituum. Propter quod et ego
humiles dedi vos contemptibiles et humiles
omnibus populis, sicut non servastis
vias meas, et accepistis faciem in
lege. Numquid non pater unus omnium
nostrum? Numquid non deus unus creavit
nos? Quare ergo despicit unusquisque nos-
trum fratrem suum, violans pactum patrum
nostrorum? Transgressus est iuda, et abhomina-
tio facta est in israel et in ierusalem, quia
contaminavit iudas sanctificationem
domini quam dilexit, et habuerit
filiam dei alieni. Disperdat domi-
nus virum qui fecerit hoc, magistrum et
discipulum de tabernaculis iacob, et of-
ferentem munus domino exercituum.
Et hoc rursum fecistis: operiebatis
lacrimis altare domini, fletu et
gemitu, ita ut non ultra respiciam
ad sacrificium, nec accipiam pla-
cabile quid de manu vestra. Et dixistis:
Quam ob causam? Quia dominus
testificatus est inter te et uxorem
pubertatis tue, quam tu despexisti. Et
hec particeps tua, et uxor federis tui. Non-
ne unus fecit, et residuum spiritus eius
est? Et quid unus querit nisi semen dei?
Custodite ergo spiritum meum et uxorem vestrum
adolescentie tue nolite despicere.
Cum odio habueris eam, dimitte,
dicit dominus deus israel. Operiet autem
iniquitas vestimentum eius, dicit dominus
exercituum. Custodite spiritum vestrum, et no-
lite despicere. Laborare fecistis dominum
in sermonibus vestris. Et dixistis: In quo
fecimus eum laborare? In eo quod di-
citis: Omnis qui facit malum in
conspectu domini bonus est, et tales
ei placent, aut certe ubi est deus iudicii?
Ecce ego mittam Ca. III.
angelum meum, et prepara-
bit viam ante faciem
meam. Et statim veniet ad tem-
plum suum dominator quem vos queri-
tis, et angelus testamenti quem vos
vultis. Ecce venit, dicit dominus exercituum.
Et quis poterit cogitare diem ad-
ventus eius? Et quis stabit ad vi-
dendum eum? Ipse enim quasi ignis con-
flans, et quasi herba fullonum. Et sede-
bit conflans et emundans quasi argentum,